

anno Domini millesimo quingentesimo trigesimo octavo [7 III 1538], regni nostri trigesimo secundo. Ad mandatum Sacrae Maiestatis Regiae proprium.

VIII. CONSTITUTIO PARTICULARIS DE INTRODUCTIONE FORMULAM PROCESSUS IUDICIARI IN TERRIS CUIAVIAE

Sigismundus, Dei gratia rex Poloniae, magnus dux Lithuaniae, Russiae, Prussiae, Mazoviaeque etc. dominus et heres. Significamus tenore praesentium, quibus expedit universis, quia cum magnificus et generosi Ianusius de Lathalycze, palatinus Junivladislaviensis, Erasmus de Krethkow, castellanus Brzestensis ac nuntii terrestres terrarum Cuiaviae ad conventionem generalem Piotrcoviensem missi, suis totiusque nobilitatis praefatarum terrarum nominibus nobis sufficienter declarunt, quia in conventione proxime praeterita Radzieyoviensi palatini, castellani, dignitarii, officiales terrestres, totaque nobilitas in ipso conventu congregata, unanimi voto et voluntate processus iudiciarii Minoris Poloniae penes statuta tempore felicis nostri regiminis condita, prout ipsa Formula est impressa et in se tuisque punctis continetur, appellatione duntaxat excepta, suscepereunt, nobisque praefati consiliarii una cum nuntiis terrestribus terrarum Cuiaviae supplicaverunt, quattinus in ipsis terminis eandem Formulam processus iudiciarii admireremus et approbaremus. Quorum supplicationibus annuentes eisdem subditis nostris omnium ordinum nobilitatis iuri communi terrestri subiectis dictam Formulam processus iudiciarii admisisimus et consensimus, admittimusque et concedimus praesentibus ipsam decernentes robur perpetuae firmitatis obtinere, volumusque at mandamus omnibus et singulis dignitariis, praefectis, iudicibus, subiudicibus et aliis officialibus nostris terrestribus et castrensis, generaliterque omnibus subditis nostris terrarum Cuiaviae, ut in omnibus iudiciis dictam Formulam processus iudiciarii firmiter observetis et observari faciatis. Harum testimonio litterarum, quibus sigillum nostrum praesentibus est subimpressum. Datum in conventione generali Pyotrkoviensi. Sabbatho ante dominicam Invocavit anno Domini millesimo quingentesimo tricesimo octavo [9 III 1538]. Ad mandatum Regiae Maiestatis proprium.

IX. EDICTUM NE POLONI^a-VADANT E REGNO^b AD MILITIAM EXTERNAM

Sigismundus^c rex Poloniae. Magnifice^d, sincere nobis dilecte. Credimus tuae serenitati abunde constare opus esse nobis hoc anno non parva manu militum mercenariorum et proinde serenitati tuae mandamus, ut in omnibus oppidis, villis circa ecclesias parochiales diebus festis atque fora^e publicae ac diligenter proclamari faciat, ne quisquam subditorum nostrorum militaris ordinis aut bello aptis tam pedites quam equites de regno nostro excedere et aliorum obsequiis militaribus se addicere debeat, quin subditi nostri capitaneatus serenitati tuae nobis militare volentes equos et arma in promptu habeant. Nos enim non post multos dies curabimus militem scribere et in eum pecuniam distribuere. Si quis autem contra hoc edictum nostrum ire voluerit indignationem nostram, ut desertor reipublicae noverit se incursum et aliter facere non debet, sub poenis contra negligentes capitaneos statutis et pro gratia nostra. Datum in conventione generali Piotrkouiensi^f, feria quinta ante dominicam Invocavit [7 III], anno Domini 1538, regni nostri^g anno trigesimo secundo. Ad mandatum Sacrae Regiae Maiestatis proprium^g.

^a milites Poloni *B. Kórn.* ^{b-b} eant *B. Kórn.* ^c Sigismundus primus *B. Kórn.* ^d Capitaneis praefectorum magnifice *B. Kórn.*
^e fori *B. Kórn.* ^f Piotrkouiensi *B. Kórn.* ^{g-g} XXXII^o *B. Kórn.*